

Dupli-  
ces sunt  
actus ex  
teriores

riores duplices sunt. Quidam qui bene fieri non possunt, qui secundum philosophum. secundo Ethico. capitu. 7. mox nominata, conuoluta sunt cum malitia, quales sunt actus lege prohibiti, sicut adulterium, furtum, homicidium, blasphemia, falsa testimonia, & similia. Hæc bene fieri non possunt, etiam propter quemcumque finem, aut quocumque moderamine circumstantiarum sitante lege, sed simpliciter quæ docuente sunt, peccatum sunt. Et dicit philosophus, & latius prosequitur magister lib. 2. distinctio. quadragesim. capit. 3.

De quibus apostolus loquens damnat dicentes: Faciamus mala ut eueniant bona. A talibus aliter cessari non potest, nisi cessando ab actu, quia manente actu lege prohibito, semper manet transgressio, & inobedientia legis, que integrat rationem peccati, ut patet ex definitione peccati nam Augustini, quam Ambrosii, quas recitat Magister lib. secundo distinctio. 37. capitu. 1. Alii sunt actus, qui possunt fieri quandoque bene, quandoque male, propter diuersas in tentationes finis, & circumstantias. Sicut, aliquis studet, ut diuitias acquirat euangelizando. Item laborare pro temporalibus copiis, possunt bene fieri propter victum necessarium ad Deo seruendum, aut pauperum subuentionem. Male propter vanam gloriam, propter voluptates illicitas, propter vindictam faciendam &c. Sic victus pauperi tribui potest propter Deum, & propter vanam gloriam. In talibus dum peccatur cessandum est à peccato, non per omissionem operis, sed correctionem intentionis, qua directa opus erit meritorium, quod sub intentione distorta fuerat criminofum. Hæc de actibus exterioribus, & non difformiter intelligendum est de interioribus imperatis.

Actus verò elicitus interior (in quo est primò peccatum secundum Augustinum in de libero arbitrio) intelligitur manere tripliciter scilicet formaliter, siue actualiter virtualiter &

habitualiter, conformiter ad ea, quæ dicit Scotus libro. 4. distinctio. 6. questio. sexta de in tentatione. Formaliter manet quamdiu in voluntate stat, velle respectu peccati præsentis, aut complacentia respectu præteriti, aut propositum faciendi respectu futuri. Habitualiter manet quamdiu manet habitus inclinans ad peccatum ex actibus elicitis generatus. Virtualiter manet, quamdiu ex eo tanquam ex radice, vel principio ordinato ad alios actus, operationes aliarum procedunt gratia exempli. Aliquis deliberauit velle aliquem occidere, & ad hoc præparat arma, con ducit satellites, suffodit parietem &c. quæ omnia procedunt virtute primæ intentionis, quia si quæritur, cur præparat arma. Si verè respondet, fatebitur, propter velle occidere, & ita intel ligitur manere virtualiter, quamdiu aliquis actus ex eius virtute procedens continuatur.

Pet hoc dicuntur tria. Primum ad agendum veram de peccatis penitentiam non exigitur cessatio habitualis actus interioris criminofis. Potest namque manere inclinatio habitualis ad peccati actum, etiam peccato per penitentiam remisso. Nam inclinatio ista vitiosa non deletur nisi per virtutis habitum contrarium, aut per longam, cessationem ab actu eius generatiuo. Sicut etiam non per vnum actum regulariter, sed per multorum frequentationem talis habitus secundum philosophum generatur. Sed in quolibet die vel momento potest de peccato penitere secundum illud Ezech. 33. Impietas impii non nocet ei in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua, ideo penitentia non præexigit desitionem habitus vitiosi. Nam & illos permanere in nouiter conuersis experientia docet, qui sentiunt se etiam post conuersionem ad actus prioribus similes inclinari.

Secundum cessatio actus criminofis interioris elicitus secundum quod ad actum, & formaliter est in voluntate, præquiritur quidem ad agendum penitentiam

Quo eò  
tingit  
cessare  
ab actu  
interiori  
peccati,  
multipli  
citer.